



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

R. P. N. Mvtio Vitellesco , Societatis Iesv Præposito Generali, Opus Suarj
de Religione Ex eadem Societate Balthasar Alvarez D. & C.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



R. P. N.

MVTIO VITELLESKO,
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI

Opus Suarij de RELIGIONE

Ex eadem Societate BALTHASAR ALVAREZ D. ES C.

POSTREMVM hunc, & germanum, quanquam posthumum Suarij de Religione fœtum, quem ipse iam conceptum diu parturierat, in meo sinu hætenus inclusum in lucem tandem editurus, paulisper hæsi dubius, quo sub sidere nascentem emitterem. Nefas quippe esse ducebam partum illustrissimum adedò obscurè, expectatissimum adedò temerè in vulgus prodire, quin priùs astrum haberet natalitium, quod & illius dignitatem augeret, & faustum, ac fortunatum exitum portenderet. Circumspexi igitur, neque vllum mihi aut splendidius, aut benignius occurrit, quàm tu vniuersæ Societatis nostræ & parens, & columen singulare, qui in Romano cœlo tuâ ipse luce conspicuus oculos, & animum ad te conuertisti, imò rapuisti. Vidi, ac prævidi illicò, quàm benè, & faustè casurus ortus; pignusque accepi felicitatis futuræ, & in tanto fulgore spes præluxit bonæ fortunæ, quæ animum altiùs erexit, & mirificè confirmavit. Visum mihi fuit & salubre, & honestum, quin etiam gloriosum, occasione pulcherrimâ oblatâ uti, illum tibi nascentem dicare, consecrarèque, te illi sidus natalitium assignare, cui feliciter præfideas, quem humaniter foveas, quem benignè intuearis. Idque vel maximè, quòd & rationi consentaneum, & operi utile, & dignitati tuæ decorum fore putavi. Rationi consentaneum; quia cùm toti Societati, velut sol vniuerso orbi præsis, Astronomiæ lex, & ratio postulat,

Fr. Suarez de statu relig. tom. 4.

postulat, ut nostrum tibi Mercurium adiungas, qui ut sapientiæ symbo-
lum est, ita cum Sole, ut obseruant Astrologi, incredibili modo con-
sentit. Operi utile; quia tui syderis miti, facili, & benigno aspectu
fœtus noster adolescet, confirmabitur, corroborabitur, quin à pestife-
ro alicuius astri oculo sideretur. Dignitati tuæ decorum; quia, quem-
admodum Soli gloriosum est, quòd astra reliqua ab eo lucem mutuen-
tur. ita decorum tibi erit, quòd tantum sydus à te fœneretur splendo-
rem. Sed omisis verborum inuolucris, abiecto fūco lenocinioq; di-
cendi, rem nudam syncerè inuestigemus. Plurimis igitur iustissimisq;
de causis censeo Suarium hoc tibi vni ex omnibus Opus, teq; illi etiam
opem, fidem & patrociniū debuisse, ita ut eodem mutui officij nexu
vinciamini. Quàm est æquum, ut quod opus, vir in tota hac tua familia
maximus in lucem edit, tibi eiusdem familiæ Parenti maximo conse-
cretur? Quàm conueniens, ut quos beatissima nostri soli gleba fru-
ctus tulit, tibi cultori, & domino agri reddantur? Quàm consenta-
neum, ut quas plenissimus Sapientiæ fluuius aquas euoluit, ad te fontis
caput iterum redeant? Sunt quidem hæc altiùs repetita, illa videamus,
quæ è re ipsa magis nascuntur. Opus de Religione Societatis, quod in
toto hoc volumine præcipuum eminet, ex monito ac præscripto R. P.
D. Claudij Aquaiuæ Suarius conficiendum suscepit; nōne res ipsa
postulat, ut quoniam à Claudio principium accepit, ad te (qui in eius lo-
cum, neq; nomine, neq; factis inferior successisti) tanquam ad termi-
num & finem referatur? Omnium certè cæterorum fœtuū Suarij,
quos tu cum per otium legeres, pulcherrimum iudicasti; nōne hoc
nomine tuus est, parens Societatis optime, cui iure optima quæque de-
bentur. Nōne præterea eius hoc titulo Opus tibi vendicas, ut cuius
doctrinam olim (quod ingenuè confiteris) amplexus es, modò tuearis?
& quem viuum magistrum habuisti, mortuum hoc saltem patrocini
officio prosequaris? Iam verò, quòd huius Libri scopus sit nostra So-
cietas, adeò tuum reddit Opus, ut nemini, te præter vnum, conuenire
posse videatur. Quapropter existimo, & ita credere par est, hanc mi-
hi mentem ab ipso Suarij animo iam Beato immisam fuisse, qua me vi-
olentiùs impelli sentiebam, & cui tandem post varios sollicitudinum æ-
stus acquieui. Quippe qui nutricis more fœtus curam suscepissem, se-
dulò aluisssem, & in sinu hætenus contentum nollem exponere fortu-
næ arbitrio, sed tutori fidelissimo quasi pupillum exhibere, & in tutissi-
mo alicuius gremio collocare, qui tantum pignus, quantum ego cepe-
ram, & caperet, & sustineret. Quanquam enim Suarij Opera non ru-
dia, & inchoata, sed absoluta, & perfectæ sint, adeò ut existimem Di-
uino consilio factum esse, ut tot Libri post eius mortem, maturè satis in
lucem ederentur, quo omnibus palam fieret, nihil in iis rude, nihil in-
forme esse, quod Parentis lima, aut lingua vrsi more formaretur; ta-
men, &

men & præclarum mihi fore videbatur, & illi salutare, si eum illi patro-
num adhiberem, qui non modò protegeret, sed efferret, non modò su-
sciperet, sed illustraret, non modò defenderet, sed etiam nobilitaret.
Hac enim ego ratione abundè mihi satisfactum putabo, quoniam illum
laboris & industriæ in hoc foetu alendo, & nutriendo fideliter colloca-
tæ fructum accepi, ut te tutorem optimum relinquerem eius foetus, qui
parente optimo orbatus esset. Suscipe igitur illius curam, & tuæ in eo
Societatis imaginem, non fictis adumbratam, sed veris expressam colo-
ribus contemplare, & siue parens es, ad eius nos similitudinem effingi-
to; siue imperator, ad hoc vexillum explicatum euocato: siue magi-
ster, hoc nobis vitæ & morum castigatissimum exemplar imitandum
proponito: siue pastor, nos intra hos legum & rationum carceres, &
septa contineto; siue Sol, hoc nos lumine illustrato, & hanc facem no-
bis inspicendam obicito, ut in ea aciem mentis nostræ experiamur &
irretortis oculis, firmoq; obtutu defixi, generosos nos esse Aquilæ ma-
gnarum alarum, id est, Parentis Ignatij pullos, & tibi, & omnibus verè
probemus. VALE Societatis nostræ Parens obseruandissime.

